DE
VESICULARUM SEMINALIUM
MORBIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

EX AUCTORITATE ATQUE CONSENSU GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN ALMA UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA
GUILELMIA RHENANA

AD

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

GRADUM RITE ASSEQUENDUM

SCRIPSIT ET DIE VII KAL. APRILES ANNI MDCCCXXXVI

PUBLICE DEFENDET

ALOYS. FRANC. HENR. SCHMITZ,

RHENANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

ANT. HECKING, Med. et Chir. Dr.
IOS. JACK, Med. et Chir. Cand.
FRANC. RHEINS, Med.-chir. Cand.

BONNAE,

TYPIS CAROLI GEORGII.

Impenetrabile ingenio humano generationis negotium, ob limites, quos illi Natura posuit, maneat nobis incognitum! modo morbos organorum, quibus suum ad opus haec utitur, eorum modo phaenomena, origines, medendique rationem intelligi nobis liceat et minus premet nos necessitas ignorantiae.

I. P. Frank.

PRAECEPTORI ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO NASSE,

MEDICIN. CHIRURG. PHILOS. DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, DIRECTORI INSTITUTI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIET. LITT. COMPLUR. SODAL., EQUITI etc. etc.

D. D. D.

GRATO ANIMI SENSU

A U C T O R.

L E C T O R I

S.

Hisce qualibuscunque pagellis conditiones vesicularum seminalium pathologicas multis de causis adhuc in tenebris versantes colligere, earumque diagnosin, quantum licuit, stabilire tentavi. Quas quidem investigandi cognoscendique difficultati potissimum tribuendum videtur, huius organi pathologiae hucusque non tantum navatum esse operae, quantum pro summa eius vi et efficacitate in animum corpusque humanum par fuisse arbitramur.

Assidue me observationes ad rem pertinentes in variis libris dispersas collegisse, non est, quod diffitear; nec ullus me contentior foret, si in morbis huius organi paulo accuratius dilucidiusque cognoscendis non frustra elaborasse mihi contigisset.

Sed huius prooemii priusquam finem faciam, non possum praeceptorum horum non pie grateque recolere memoriam et quidem imprimis Friderici Nasse, viri et ingenio et doctrina praestantissimi, qui pro consueta sua benevolentia atque humanitate tum alias, tum in hisce studiorum primitiis fautorem adiutoremque mihi praebere se nunquam gravatus est; neque minus Caroli Guilelmi Wutzer, viri acutissimi, artisque salutaris callentissimi, atque Hermanni Nasse, viri doctissimi atque solertissimi, quorum uterque libris benigne commodandis studia mea sublevare non destiterunt.

INTRODUCTIO.

Morbi vesicularum seminalium, quoniam raro efficacioribus conspicui existunt symptomatis, eamque ob causam ingenium pathologorum ad explorandum indolem suam et naturam minus invitabant, quam alia organa; adhuc parum investigati sunt atque cogniti. Quamvis enim varias earum conditiones pathologicas ab auctoribus rem accuratius tractantibus inveniamus relatas; tamen neque de signis in vita obviis, huic modo organo propriis, neque de causis efficientibus pro rei gravitate dilucide et copiose disputant, dum aut omnino nihil aut parum certi afferunt. Si autem memineris adhuc discrepare opiniones de physiologia vesicularum sem., non admiraberis, eam materiam tantopere fuisse relictam atque neglectam.

Fallopia vesiculas sem. primus detexit, iisque seminis conservandi et in coitu largius effundendi negotium attribuit. Vesal esse eas negavit. At Wharton, van Horne, Swammerdan, postea Harder et Taury vesiculas sem. secernendo liquori a semine differenti inservire existimarunt. Novissima aetate Hunter [1]), Prevost et Dumas [2]) sen-

1) Observations on certain parts of the animal oeconomy. London 1786 p. 27.

2) Annal. des sciences natur. Cf. Froriep's Notizen aus dem Gebiete der Natur und Heilkunde. 1823. Ian. 177 sq.

tentiam Whartonis amplexi sunt; Soemmering [1]) autem, Brugnone [2]) et Panizza [3]) consentientibus ab hypothesi Fallopiae stetit.

Obiectiones gravissimae, quas adversarii opinioni Fallopianae movent, a diversitate liquoris, qui in vasis deferentibus et vesiculis sem. inest, repetuntur. Prevost et Dumas, succum in vesiculis sem. bestiarum cito caesarum exstantem nunquam animalculis spermaticis mixtum esse, affirmant, dum vas deferens iis scateat: cuius rei veritas si vindicaretur, non levis id momenti futurum esse videtur. James Wilson [4]) vesiculas seminales, conspirantibus quibusdam circumstantiis, recipere semen arbitratur, etiamsi plerumque id agerent, ut liquor quidam, qui in coitu semini misceretur, et fortassis actum perfectum redderet atque creatorem, secerneretur.

Non mirum igitur, quod tanta physiologiae paupertas in pathologia pauperiorem se filiam agnoscat. Dolendum est, vesiculas seminales earumque morbos in cadaveribus etiam dissectis tam parum tamque raro pensi habitos esse. Utique variis et multis modis degenerare possunt et opinione frequentius tales reperiuntur. Etenim Littre in quadragenorum uno cadaverum gl. prostatam se et vesiculas sem. morbo correptas invenisse, testatur. Vesiculae sem. raro idiopathico corripiuntur morbo; saepe autem afficiuntur morbis organorum vicinorum, quod cum accidit, sua ipsorum magis minusve in illorum symptomata cadunt. Sed proprios quoque morbos, qui nihil ad organa genitalia reli-

1) Blumenbach: Medicinische Bibliothek, Bd. III, S. 87.

2) Mem. de Turin. An 1786—87.

3) Osservazioni antropo-zootomico-fisiologische, con. X Tavole. Pavia 1830; fol. p. 41.

4) On the urinary and genital organs. London 1821, p. 130.

qua pertinent, in easdem cadere, hosque revera signis nonnullis peculiaribus et propriis non carere, inferius demonstratum patebit.

Quidquid ex anatomia pathologica ad rem meam ornandam valet, quam accuratissime et copiosissime fieri poterit, sedulo collecturus sum, ut inde atque ex quibusdam observationibus inferius describendis diagnosin morborum vesicularum seminalium pro viribus meis et rei obscuritate deducam. Cum autem vasa deferentia et ductus eiaculatorii, si morbo premuntur, magnopere inficiant vesiculas sem. et vice versa, res postulare videtur, ut eorum quoque perspiciatur conditio pathologica.

I. PARS ANATOMICO-PATHOLOGICA.

A. *Vesiculae seminales.*

§. 1. Vesiculae seminales aeque ac reliquae partes corporis *inflammationi* sunt obnoxiae. *a*) Baillie [1]) licet eas per se inflammatas nunquam observaverit, tamen ex sequelis inflammationis comitibus easdam cum partibus circumiectis laborare, animadvertit. Sic superficiem posticam vesicae urinariae, ipsas vesiculas seminales et partem intestini recti, quae insolita firmitate cohaerebant, eadem conditione, qua aliae partes corporis orta inflammatione apparere solent, oculis lustravit. Idem Soemmering in annot. ad h. l., Voigtel [2]) et Vogel [3]) confirmant. *b*) Caro . . . sexaginta annos natus in aulis Broussoneti nosocomicis apoplexia mortuus esse dicitur [4]). Dissolutissime vixerat; compluribus

1) Anatomie des krankhaften Baues. Uebersetzt von Soemmering, 1794, p. 192.

2) Handbuch der path. Anatomie, Bd. III, S. 413.

3) Handbuch der praktischen Arzneiwissenschaft, Bd. IV, S. 447.

4) E. Clément, Thèse sur les maladies des organes générateurs. Montpellier 1830, p. 17.

blennorrhoeis urethrae praeteritis, intumescentia testiculorum insecuta erat. Idem usque ad extremos menses vitae manustuprationi indulserat, diu noctuque pollutionibus simul vexatus, dum sperma pure atque urina commixtum effluit. Difficulter mingebat, alvumque deponebat, quod nunquam sine iactura seminis accedebat. Hic aeger temperamenti lymphatico-sanguinei, alacris ingenii atque levissimi erat; sed paulo antequam in hospitium Hôtel-Dieu dictum reciperetur, tristis evaserat atque morosus; dysphagia gravissima, item syncopae, ischuria extiterant, quam ob rem catheter applicandus erat, cum vehementibus doloribus in hypogastrio, commitante tandem morte. In cadavere cerebrum normale, exsudatio serosa, septum lucidum permagnum, phlebitis cruris dextri. Venae abdominales et arteriae pulmonales degeneratae, paralysis m. sphincterum ani, vesiculae seminales inflammatae et tumescentes, vasa deferentia ossificata, nihilominus semen permeabat. Epididymis dura atque ulcerata, massa calci similis eo loco, ubi vasa efferentia testis numero deficiunt, volumine autem crescunt.

§. 2. Exstant casus, in quibus inflammatio vesicularum sem. adeo invaluerat, ut evaderet *suppuratio*. *a*) Stoll [1]) observationem a se in musico annos XXXII nato commemorat habitam. Descriptionem solummodo cadaveris secti hic apponere libet: „Sana seminalis caruncula, nisi quod utrumque ductuum eiaculatoriorum orificium solito magis ampliatum hiaret et sinistrum, compressa prostata, pus funderet. Ex eadem glandula digitis leviter compressa per omnes eius excretorios ductus sanos quidem ipsos pus proliciebatur, sectaque exiguos abscessus lentis quosdam, ciceris alios magnitudine continuit. Vesicula seminalis sinistra pure

1) Ratio medendi Pars I. Viennae 1777, p. 246.

plena fuit, ipsa ex membranis duris, crassisque et hinc inde inflammatis composita. Sana dextra et liquore seminale turgens. Cum teste sinistro, quem dextro maiorem diximus, tunica vaginalis arctissime cohaesit, isque dissectus abscessum, qui nucem iuglandem aequans pure bono, crassoque replebatur, in parte a testiculo accessorio aversa exhibuit. Sanus uterque funiculus spermaticus." Aeger olim urinae angustiis et blennorrhoea laboraverat et delirio vehementi captus febrique in clinicum Stollii delatus est, ubi hoc statu efflavit animam. *b*) Ios. Palucci [1]) casum describit, in quo vesiculae sem. suppuratione destructae erant, et ait: „Vesiculae sem. nonnunquam rumpuntur et abscessus formant, extensione tantum et dolore in perinaeo cum stranguria et symptomatis febrilibus cognoscendos, ex quibus facile transitus sit ad fistulas ani." *c*) Andral [2]) memorat in quibusdam casibus temere gigni coniunctionem inter vesiculas sem. et vesicam urin. interiorem. *d*) Ex observatione a Lapeyronie facta elucet verum dicere Andralum. Quo scilicet in casu sperma inter coeundum non spergebatur, sed lente per urethram effluebat pro ratione deficientis erectionis et largius, cum premeretur penis [3]). *e*) Dalmas [4]) duos casus suppurationis vesicularum seminalium communicat, qui in aula nosocomica St. Michaelis et St. Ioannis observati sunt. In horum altero prostatam, cuius volumen magnopere auctum fuerat, pure infiltratam conspexerunt. Vesicula sem. sinistra conditionis eiusdem fuit, cuius pro-

1) Saggio di nuove osservazioni e scorperte Tirenze 1768. Cf. Comment. de rebus in scientia natur. et medicina gestis. Lips. 1771, Vol. XVII, pars I, p. 88.

2) Précis d'anatomie pathologique. Paris 1829, Tom. II, p. 671.

3) Mém. de l'acad. de chir. T. II.

4) Iournal hebdomadaire. Tom. III. p. 264 sq.

stata. Duplicis paene magnitudinis, cuius altera, neque impressiones singulae a cellulis internis dependentes dignosci poterant. Incisione instituta cellulae evanuerant, sed vesicula sem. uno solummodo cavo constabat, materiam aeque flavam et liquidiorem, quam prostatae, continente. Ductus deferens eius lateris intus pollices quatuor ad quinque materia obstructus erat, illi similis quidem, sed spissior. In altero quoque casu glandulam prostatam insigni copia puris infiltratam reperiebant. Utraeque vesiculae sem. materia eiusdem generis refertae et quidem spissa atque flava. Haec eadem in utroque vase deferente, attamen in sinistro, quam in dextro, latius diffusa inveniebatur. Testes, urethra atque vesica ur. non abnormes.

§. 3. *Induratio* creberrima omnium vesicularum sem. degenerationum apparet et quidem aut in iisdem solis aut, quod saepius accidit, simul cum induratione partium vicinarum. *a*) Morgagni [1]) partem vesiculae sem. cum parte ductus deferentis contigua induratam et paene cartilaginosam reperit. Semen in eo contentum dilutum erat. *b*) Sandifort [2]) in viro octoginta annorum, qui prostata utebatur admodum vitiosa et corrupta, vesiculas sem. parvas, duras, cartilaginosas invenit. *c*) Vide observationes §. 2. a. §. 5. a. §. 5. b. *d*) Albers, qui et hanc materiam solita cum dexteritate tractavit, mihique, ut ita dicam, viam solide stravit [3]), in adolescente viginti annorum prostatam insigniter immutatam et vesiculam laevam auctam atque induratam reperit; et in viro, qui per viginti annos blennorrhoea urethrali vexatus, et tuberculis pulmonum mortuus fuerat, ve-

---

1) De sedibus et causis morborum, epist. XLVI, §. 5.

2) Mus. anat. Fol. I, Sect. V, No. LXII, p. 257.

3) Iournal von v. Graefe und v. Walther, Bd. XIX, p. 222.

siculas sem. solito maiores atque duras, paene cartilaginosas invenit; et partibus interioribus foramina massa quadam subviridi repleta cernebantur; ductus eiaculatorii lati erant et parietibus firmis.

§. 4. *Scirrhus* vesicularum sem. raro observatus fuit. *a*) I. P. Frank [1]) casum quendam, in quo scirrhus extabat in vesicula sem., depinxit atque descripsit his usus verbis: „Ex his apparet scirrhum vesicularum seminalium, quem hae figurae repraesentant, cum scirrho simulac parietum vesicae cum aucta crassitie incessisse; atque hinc probabili ratione, dictas vesiculas ex vicinia morbosa magis quam ex affectione propria primum induruisse, ac autem cum prostata, cum qua intimius intricatae sunt, communem subivisse. Vesicae urinariae, etsi vacuae, non tamen collapsae, satisque extensae figura, de parietum huius visceris non modo crassitie aucta, sed quoque de indole eorum vix non cartilaginea testantur. Etsi vero prostatae tumores omnis generis et qui pelvis cavum vix non omne impleverint, viderimus; nunquam tamen illos in vesiculas seminales aliter, quam easdem comprimendo ac obliterando egisse conspeximus. Caetera sub tanta horum receptaculorum cum prostatae scirrho implicatione, specifica tamen eorundem ac intestinorum gyris similes quasi inflexio, sicut separatio a glandula prostata adhuc satis conspicuae sunt. Vesicularum simul positio alterior est." *b*) Albers [2]) etiam scirrhum observavit.

§. 5. *Tubercula* in vesiculis sem. observata sunt. *a*) P. Ch. Louis [3]) inter homines XL phthisi mortuos tres

1) Interpretationes clinicae. Pars I, Tübingae 1812, p. 288.

2) l. c. p. 191.

3) Recherches anatomico-pathologiques sur la phthisie. Paris 1825, pag. 132.

invenit, in quibus quantitas materiei tuberculosae extabat maior minorve glandula prostata contenta, in quorum uno ea materies et in glandula prostata et in vesiculis seminalibus atque in vasis deferentibus obvia. Haec observatio posterior instituta fuit in sartore germano viginti quatuor annos nato. Prostata magnitudine normali erat atque penitus fere in materiam tuberculosam non mollitam mutata. Vesiculae sem. durae, crassiores, quam in statu normali et materie tuberculosa densissima, quae per cava distincta erat similia vulgo ibidem obviis. Haec cava dura, canescentia, millesima parte metri gallici crassiores, similia parietibus vesicularum. A collo harum incipiens, si tres pollices metiendo processeris, ductuum deferentium diameter duarum circiter erat linearum Par. cum dimidia et renixus, qualis chordae tensae esse sollet. Longitudo earum loco iam memorato appropinquans paulo decrescebat. Duplici crassitudine erant parietes, canitie fere continuo apaca, sicut vesicarum et canalis earum, cuius volumen prius expositum fuit, materia tuberculosa, densa et minime mollita repleta erat. Ultra hunc terminum omnia sana. *b*) Dalmas [1]) observationem edocet, secundum quam pars sinistrae prostatae scirrhosa, dextera autem solito mollior fuit. Pressione adhibita nonnulla tantum grana materiae infiltratae emittebantur. In dissecando fibra sinistra magis stridebat sub cultro, quam dextera. Utraque vesicula sem. dura multorumque cavorum solito minorum capax, quae non nihil humoris continebat turbulenti, cava minora solummodo replentia. Pars summa vasorum deferentium utrinque destructa, horum status accurate modo disquiri poterant, ubi regionem inguinalem contingunt. Vas deferens scilicet quaqua versus complures tumores insignes praebuit et quidem eo spectatiores, quo

---

1) l. c. Obs. IVa.

propius funiculus spermaticus accedebat testiculo. Hic tumor ex materia tuberculosa flava pultisque speciem referenti constabat. Aderant praeterea fistulae scrotales in vicinitate testiculi cum vase deferente compactae. *c*) In casu a Cruveilhier [1]) relato uterque testis, epididymis, vas deferens, vesicula sem., ductus eiac. atque prostata materia tuberculosa impleta fuere.

§. 6. *a*) Baillie [2]) in casu quodam unam vesicularum sem. indubitata *materia scrofulosa* repletam invenit. *b*) Albers [3]) fungo medullari testiculi parietes vesicularum sem. induratos et intus massam *fungo medullari* similem coacervatam vidit.

§. 7. Soemmering [4]) semel *frustulum ossis* vesiculae sem. adhaerentem invenit.

§. 8. Baillie [5]) in cadavere hominis vesiculam sem. sinistram obliteratam, aut potius in *massam adiposam* mutatam spectavit.

§. 9. In vesiculis sem. non minus, quam in quavis alia corporis parte *calculi* possunt gigni. *a*) Bernardus Valentinus [6]) hanc refert observationem, cuius instituen-

---

1) Anat. path. Livraison X. Malad. du testicule.

2) l. c. pag. 192.

3) l. c. pag. 173.

4) l. c. pag. 193. II.

5) Beiträge zur praktischen Arzneiwissenschaft und path. Anatomie. Aus dem Engl. von Dr. I. G. Leukfeld. Halberstadt 1829, p. 161.

6) Miscell. Nat. Cur. Dec. II. An. VI. Obs LVIII. p. 158.

dae facultatem praebuit fur Anglus, qui capite amputato in amphitheatrum chirurgorum deportatus fuit. In eius una vesicularum seminal. calculus pisum colore, forma atque magnitudine referens, inventus est. *b*) Garmannus [1]) narrat: „In theatro publico reperti in cadavere lapides, crystalli ciceris magnitudinem habentes in vasis seminariis." *c*) In casu quodam a Riedlino [2]) observato grana exigua cum semine abscesserunt. *d*) Stalpaart van der Wyl [3]) quoque observationem nobis communicat. *e*) Hardtmann [4]) morbi descriptionem exhibet, in qua, ubi de cadavere agit, haec refert: „Seminalis vesica dextra nimis abunde a contenta qualicunque colluvie turgida observabatur, adeo ut supra mediam vesicae urinariae partem esset porrecta. Ex incisa ergo eadem collegimus multiplicis generis odorisque pessimi materiam. In eadem colluvie tres simul reperimus lapillos diversae figurae magnitudinisque. Color singulis idem nempe helvus ad achrae colorem potissimum accedens, interspersis maculis leviter nigricantibus, ad tactum porro nonnihil asperi et friabilis deprehenduntur etc." *f*) In viro XLV annorum vesicula seminalis dextra magnam copiam calculorum, circiter C. C. continens, observabatur, sine ullis symptomatis in vita obviis [5]). *g*) En observationem Hemmanni: Vir quidam XL annos natus, qui quam luxuriosissime semper vixerat et tempore novissimo inprimis

---

1) De mirac. mort. Lib. III, Tit. III, §. 79, p. 1112.

2) Lineae medic. An. 1697 Mai. p. 316.

3) Observ. Cent. I. Observ. XII, p. 53.

4) Nov. Act. Nat. Cur. Vol. III. Obs. CIII, p. 561. — Eiusd. Dissert. de calculis in vesicula seminali repertis. Francof. 1765, pag. 32.

5) Archives générales. Iuni 1831.

vini spiritui indulserat, tandem, nullis symptomatis antegressis, genere quodam blennorrhocae urethralis affectus est. Quae syphilitica habita, varia remedia experta est. Blennorrhoea immutata; aeger ne minimo quidem dolore, neque mingens, neque erectionem habens, afficiebatur. Tandem autem sequebantur dolores in abdomine in regione lumbali comitantibus dysuria et tenesmo; plerumque stranguria. Dolores in intestinis nonnunquam adeo acerbi, ut omnia cultris dissecta viderentur aegroto. Quibusdam diebus, ubi sellam pertusam vix reliquit, continuo redire coactus est. Guttatim mingendum erat; interdum collum vesicae urinariae anusque spasmis vehementibus adeo coarcta, ut aeger neque mingere, neque alvum solvere posset. Interea crebris erectionibus vexatus, blennorrhoea nonnunquam sedata est, brevi post iterum oritura; aliquot tamen hebdomadibus ante obitum penitus desiit. Continuo dolores cum agrypnia febrim hecticam adduxerunt, et aegrotus ultra annum, tormentis vix tolerandis cruciatus, virium consumtione defunctus est. Sectione instituta, vesiculae sem. maxime exiguae et contractae, quae dissectae calculis albis refertae erant. Ductus eiaculatorii omnino concreti, quamquam nullum suberat indicium hic unquam suppurationem aut ulcerationem affuisse, quoniam ductuum excretoriorum gl. prostatae, qui similiter circa verumontanum aperiuntur, nullus conclusus reperiebatur. Reliqua cuncta integra [1]).

Calculos in vesiculis seminalis humanis extantes descripsit atque analysi chemicae subiecit Collard. Septem horum calculorum figura erant et magnitudine diversi, plerumque admodum exigui, irregulares, polyedra pyramidalia, ternis, quaternis aut septenis planitiebus inae-

1) Hemmann. medicinisch-chirurgische Aufsätze. Berlin 1778.

qualibus obtusa. Ciccrem magnitudinis mediocris aequabant et apparebant dodecaedra planitierum, extremitatibus orisve obtusis sine lege congruentiae terminatarum. Arefacti volumine minore reperiebantur, ita ut tunc pondus eorum grani non expleret. Fusci, neque olfactum, neque gustum afficientes, semipellucidi, satis duri, fragiles, parum elastici, in latere fracto vitri instar, et pondere specifico aquam paulo superantes. Analysi chemica magna copia muci singularis manifestata fuit, admodum parum albuminis, et salia: hydrochlorata et sulphata kali ac calcis [1]).

§. 10. Nonnunquam vesiculae sem. aqua aut semine aquoso repletae a Morgagni observabantur [2]). In alio casu cellulas vesicularum sem. humidas quidem, sed omnis seminis expertes invenit hic autor iamiam laudatus [3]).

§. 11. Vesiculae sem. in corporibus adultis seu maturis re vera magnitudine differunt, exceptione ulla vix obvia. Frequentius autem *atrophia* quam eius *hypertrophia* conspecta fuit. In eunuchis parvulae et pro mero spermate nil habent nisi muci parum. *a*) Morgagni [4]) in viro viginti quinque annos nato ductum eiaculatorium in parte sinistra caecum, in dextra autem adeo angustum, ut setae tenui vix permeabilis esset et vesiculas sem. adeo corrugatas invenit, ut nullius rei essent capaces. Testiculi non aegri; blennorrhoea virulenta aegrotus laboraverat. *b*) Baillie [5]) tam exiguas illas interdum vidit, ut parum quibus creatae sunt

---

1) L. F. v. Froriep Notizen, Bd. XVI, No. 20, p. 320.

2) l. c. Epist. XXIV, §. 18.

3) l. c. Epist. XLIV, §. 10.

4) l. c. Epist. XLIV, §. 7.

5) l. c. pag. 193.

finibus, respondendo forent. *c*) Desault [1]) admodum exiguas eas est expertus. Fieri fere solet, ut una alteram parvitate multum praestet. *d*) Notatu dignus est casus a Soemmeringio descriptus, in quo licet complures annos ante testiculus alter ablatus esset, attamen vesicula sem. ad eundem pertinens non minor fuit, quam altera [2]). *e*) Hunter [3]) similis casus effigiem reddidit. Aeger morbo quodam venereo laborans in hospitium St. Georgii receptus est, ubi quoque decessit. Compertum est, testiculum dexterum diu defuisse, cum eius exstirpationis cicatrix oculis usurpari vix potuerit. Vas deferens lateris dextri textura minor erat et firmior, quam alterum, et vasa in vesicula dextera excurrentia sanguinis non tam plena fuere, quam in altero latere. Cum autem aperirentur vesiculae sem. utraque genere quodam muci repleta videbatur, in quem in aliis quoque cadaveribus incidimus. Vesicula lateris dextri paululum maior fuit quam sinistri. *f*) At Albers [4]) in viro duodecim annos hernia scrotali lateris dexteri aegro testiculum ad tertiam fere partem usitatae magnitudinis attenuatum et vesiculam seminalem eiusdem lateris dimidio saltem minorem invenit, quam lateris sinistri. *g*) Quaestionibus Morgagni, Soemmeringii et Brugnoni refutatur opinio Hunteri. Hi enim contendunt, vesiculas sem. in hominibus macris et senescentibus relaxatas et vacuas, in iuvenibus autem valentibus repletas esse. In pueris semper vacuas observavit eas Brugnone [5]).

---

1) Meckel, Handbuch der patholog. Anatomie. Leipzig. 1816.

2) l. c. pag. 193. Annot. 415.

3) l. c.

4) l. c. pag. 175.

5) Cf. Cuvier, Vorlesungen über vergleichende Anatomie, übersetzt von L. F. Meckel. Leipzig 1810, p. 416. Annot.

§. 12. Vesiculae sem. in utroque latere *duplicatae* repertae fuerunt [1]).

§. 13. *a*) Baillie [2]) in statu normali partium genitalium *deesse* omnino vesiculas sem. expertus est. Finis ductuum sem. in universum consideranti semper eiusdem est structurae, cuius vesicula sem. Quare Baillie eos in statu abnormi iam exposito saepissime dilatatos esse atque sinuatos arbitratur. *b*) Tenon [3]) quoque in duobus casibus deesse eas comperit; item *c*) Portal [4]) in casu alio. *d*) H. Bosscha [5]) casum describit, quo structura testiculorum nihil a norma abhorrente, vas deferens sinistrum clausum erat, quod latus vesicula sem. penitus carebat.

§. 14. Ductus vesicularum sem. in statu sano duobus oribus manifestis in antro urethrae aperiuntur; sed nonnunquam desunt, et vesiculae sem. sensim evanescunt, seu, ut ita dicam, *caece desinunt.* Quod cum accidit, vasa quoque deferentia normali carent termino, et in saccum caecum vesicularum sem. excurrunt. Quae abnormitas impedit, quominus semen in urethram fluat. *a*) Haller [6]) casus nactus est, ubi ductus vesicularum sem. penitus deerant. Vasa deferentia tunc per se in vesiculis aperiebantur, quorum ex collo ductus eiaculatorius nascebatur, tum spatium longius emensus.

---

1) Hallische Litteraturzeitung, 1808, No. 153.

2) l. c. pag. 193.

3) Meckel l. c.

4) Anat. medic. Tom. V, pag. 424.

5) Dissert. de vesic. sem. sinistr. defectu integris testibus vase vero deferenti sinistro clauso.

6) El. phys. Tom. 7, §. XXVI, p. 460.

b) Hunter [1]) in explorando homine, saccum in latere sinistro supra angulum peritonaci, sub quo vesica urinaria et intestinum rectum conveniunt, intuitus est. Hic saccus pro vesiculis ambabus esse perspectus est. Nam quotiescunque vas quoddam deferens inflabatur, alterum eius dimidium intumescebat, et alterius vasis deferentis simul dimidium alterum. Nulli ductus e sacco ad glandulam prostatam et urethram vergebant, nec ulla vascula aberrantia a testiculis aut eorum epididymi vitiosa sursum funiculum spermaticum versus. Patebat ergo, nullam coniunctionem, neque cum vase deferente, neque cum epididymi, neque cum sacco aut urethra locum habuisse. Testiculi rotundi erant, et vasa eorum efferentia, quae ad epididymin porrigebantur, liquore seroso repleta. Vesiculae sem. mucum continebant, quem in his bullis vulgo invenimus.

B. *Vasa deferentia.*

§. 15. *Inflammatio*, *suppuratio* in eis observata est.

§. 16. Continuatio vasis deferentis morbo quodam reperitur *clausa*, quo impeditur semen, quominus in vesiculas perveniat [2]) [3]).

§. 17. Interdum *indurata* sunt et paene in *cartilaginem* mutatae (§. 3. a.) atque *ossificata* (§. 1. b.).

---

1) l. c.

2) I. C. Bruner, de glandulis in intestino duodeno hominis detectis demonstratio. Resp. Geo. Frid. Francus, Heidelberg 1687. 4. c. fig.

3) Aug. Frid. Walther, Acta Erudit. Lips. An. 1725. Monat November.

§. 18. Troussel-Delvincourt [1]) observationem in morbo vasis deferentis dexteri vesicularum sem. institutam allegat. Ductus exhibuit cylindrum, cuius diameter duos pollices circiter longa erat, efficiebat mollem, aequalem, eodem vergentem, quo funiculus spermaticus, et quem materia flava, densa, pulposa, *materiae tuberculorum* remollitorum simillima implevit. Ipsae quoque vesiculae sem. similem materiam continebant, sed minus spissam quam canalis deferentis. Vide §. 5. b et c.

§. 19. Morgagni [2]) ductum deferentem crassisimum invenit atque tumidum. Quo tumore singularis oritur morbus, *spermatocele*, quae vocatur. Epididymis quoque in hoc morbo solet affici, aut potius ex hoc initium morbi plerumque sentitur. Funiculus spermaticus apparet inaequalis, nodosus, gibbosus, saepius magnitudine pugnum aequans. In hac massa solida funiculus spermaticus filum ferreum, crassum tactui apparet. Interdum hic morbus cum cirsocele simul complicatus est [3]).

§. 20. Morgagni [4]) de *lapillis* loquitur, quos ipse in ductibus excretoriis glandulae prostatae et vasorum deferentium invenit in sene, in cuius renibus, liene et pulmonibus calculi erant repositi.

C. *Ductus eiaculatorii.*

§. 21. Haec pars iisdem est morbis abnoxia, quibus reliqui ductus spermatici.

---

1) Iournal de médécine. Octobre 1820.
2) l. c. Epist. LXIV, §. 7.
3) cf. Voigtel l. c. Bd. III, S. 413.
4) l. c. Epist. XLII, §. 37.

§. 22. Os urethrale eiusdem saepe *dilatatius*. Morgagni [1]) memorat observationem a Valsalva institutam, quam secundum apex specilli uni ductuum eiaculatoriorum immitti poterat. Vide similem casum §. 3. d.

§. 23. *a*) Nonnunquam ***tumescit*** atque ***indurescit***, quo fit, ut semen in vesiculis sem. retineatur et varia incommoda oriantur [2]). *b*) Morgagni [3]) alterum ductuum eiaculatoriorum, priusquam in unam viam uniretur, penitus deletum reperit, et alterum adeo angustum, ut tenuis seta vix penetrare in eum potuerit. *c*) Herhold [4]) ductus eiaculatorios viri, cuius prostata tumida cum parietibus vicinis coaluerat, in massam duram atque aequalem corruptos invenit, in qua nil poterat distingui. *c*) Paulus Amman [5]) virum XXXVIII annos natum, inter coeundum, vigentibus rigidissimis erectionibus, semini expergendo fuisse imparem, narrat. Pertulit hanc passionem per integrum annum, incassum semper sollicitando venerem, quo ipso tempore non parvam etiam virium iacturam perpessus fuit, adeo, ut ipsi marasmo via iam strata videretur. Natura seminis copia procul dubio gravata, alium interea quaerit exitum, in parte dextra epigastrica tria foramina, instar minimi fonticuli, excitando, per quae laudabile semen, quoties volebat veluti lac e papilla exprimebat. Paulo post tabe correptus obiit. In casu memoria digno, quem

---

1) l. c. Epist. XXXIV, §. 37.

2) Marco de Marchi, in: Kühn's Ital. med. chirurg. Bibliothek. Bd. II, St. III, S. 105 sq.

3) l. c. Epist. XLIV, §. 7.

4) Arneman's Magazin Bd II, S. 112.

5) Miscell. nat. cur. Dec. I. An. I, Obs. 185.

Martin [1]) narrat, morbis fortassis ductus eiaculatorius suberat, quo emissio spermatis via consueta impediebatur, et semen ad aberrandum cogebatur.

§. 24. Calculis obstructi inventi sunt: Nicol. de Blegni [2]): „Vir quidam", inquit, multorum iam librorum pater, sexagesimo aetatis suae anno, cum fortis alacerque adhuc sibi videretur, alteras celebravit nuptias. Ad res venereas animus eius propensus, erectionesque crebrae ei inerant, sed seminis eiaculatione deficiente, coitus nunquam perficiebatur. Conatibus frequentibus ac nequidquam susceptis interim adeo se debilitavit, ut in febrem hecticam incideret, et octavo post alteras nuptias mense diem obiret supremum. Sectione instituta, verumontanum induratum, tumefactum et ductus eiaculatorios vesicularum sem. concretos invenerunt. Sperma relictum in massam lapideam penitus abierat constabatque tantum calculis parvis atque duris, quorum omnia vasa spermatica erant plena. Similes observationes afferunt Rhodius [3]), Bonnet [4]) et alii.

---

1) Reil's Archiv für die Physiologie, Bd. IV, S. 201 fgg.

2) Zodiac. med. gall. Mens. Mart. Obs. IV, p. 74.

3) Obs. medic. Cent. III. Obs. XXVII, p. 124.

4) Sepulc. anat. libr. III, Sect. XXIV. Obs. V. p. 1345.

II. PARS DIAGNOSTICA.

Symptomatologia.

§. 25. Praemissis iam observationibus, quid ad statuendam diagnosin huius partis pathologiae a perfectione adhuc remotae conferre valeamus, experturi sumus. Quam parum autem pro rei dignitate assequi possim, facile patebit memori egestatis signorum in morbis supra allegatis conspicuorum. Quidquid autem experientiam, curam et studium tironis in hac re fugit, posteris observationibus altioribusque scrutationibus reservetur necesse est.

Symptomata ergo, sub quibus morbi vesicularum sem. manifestantur, haec sunt:

Dolor trahens cum sensu tensionis in regio perinaeali, in vicinitate bulbi urethrae. Si vesiculae sem. inflammatae sunt, hic dolor crescit regione perinaeali pressa. In morbis chronicis plerumque sensus trahens et tendens adest. In duobus casibus observatis ab Albersio, ubi ex blennorrhoeis urethrae diutinis induratio vesicularum sem. orta fuerat, in funiculo spermatico vesiculae sem. affectae respondente, dolor trahens et tendens aegrotum vexabat a testiculo usque in cavum abdominis. Qui dolor per intervalla tantum sentiebatur; semper autem in funiculo sper-

matico ortus, iuxta quem in cavum abdominis usque porrectus, pressu adhibito parum adaugebatur. In casu ab Hemmanno [1]) communicato, quo vesiculae sem. nullo morbo alterius organi complicatae reperiebantur aegrae, dolores in regione lumbali et in abdomine cum profluvio mucoso ex urethra et cum spasmo cervicis vesicae urinariae et ani exstabant. Qui dolores in abdomine tam vehementes erant, ut intestina cultris dissecta viderentur. Nonnunquam dysuria et stranguria, in cervice vesicae urinariae sensus molestus, in pelvi autem, in regione vesicularum sem. incommodae gravitatis, aut tensionis dolorisque testiculorum, et dolor obtusus et premens in hypochondriis adest. Conditiones morbosae in testiculis, praesertim in epididymide cum morbis vesicularum sem. interdum occurrunt [2]). Intumescentia inaequalis, nodosa funiculi spermatici cum inflammatione, scrophulis, tuberculis atque lapillis vesicularum sem. complicata invenitur [3]). Scrotum interdum apparet rigidum et contractum, aut remissum et frigidum. Fieri fere solet, ut in affectionibus vesicularum sem. quoque abnormitates in erectionibus penis conspiciantur. Namque erectiones aut fortiores, dolentes, frequentioresque sunt, aut etiam continuae, aut debiliores, aut plane non existunt, aut denique nulla ad erectiones ac coitum proclivitas, aut inclinatio, quin penis erigatur. Sperma, pene rite erecto, aut rapidius effunditur, aut tardius, aut cum dolore, aut frequentius et largius, aut plane non proruit, aut semen, deficiente sensu voluptatis et intumescentia atque irritatione genitalium, aut penitus ablato, aut vix percepto, elabitur,

---

1) §. 9. g.

2) §. 1. b — 2. a — 5. b et c — 6. b.

3) §. 5. a — 5. b et c — 18 — 19.

aut continuo, aut causis quibusdam conspirantibus, aut via abnormi defluit.

Sperma qualitate variatur, et aliae massae fluidae et solidae ut sanguis, pus, mucus, lapilli cum eo simul excerni possunt. Apparebat nonnunquam tenue, invalidum, aquosum, coeruleum, odoris iusto debilioris, et maculas in linteo leviores, magis superficiales et minus distinctas reddens [1]), aut saniei foetidae respondens, muco sordido [2]), aut rubicundum, aut sanguine mixtum [3]), aut crocei coloris [4]), aut nigrum [5]), aut odoris foetidissimi [6]). In morbis, quales sunt: inflammatio, induratio, scirrhus, lapilli vesicularum sem. exploratio per anum instituta magni est momenti. Etenim ad partem inferiorem vesicae urinariae, pro intestino recto, ad utrumque latus lobuli tertii gl. prostatae, vesiculae sem. tumentes sursum atque deorsum vergentes percipiuntur tactu. Secundum observationes a Stollio, Dalmasio et Albersio l. c. commemoratas, sub exitum lethalem morbi vesicularum sem. cum prostatae et testiculorum morbis interdum complicati cum affectionibus cerebri coniungebantur, quae conditionem virium suppressarum cerebri exhibuerunt. Mors plerumque apoplexia sequebatur. Teste Dalmasio hae affectiones cerebri morbos systematis genitalis comitantur, si quadam aetate, post-

---

1) St. Marie: Traduction de la dissertation de Wichmann avec des notes etc. Lyon 1817.

2) Tissot, L'onanisme.

3) Schurig: Spermatologia etc. Francofurti 1720.

4) Ephem. nat. cur. Dec. III, An. V et VI, ocs. 273.

5) Raw: Recherch. phil. chez les Americains II, p. 27. — Ephem. nat. cur. Dec. I. An. I, obs. 63. — Le Cat: Traité sur la couleur de la peau. — Schreber: Säugethiere p. 16.

6) Hoffmann, Méa, Schurig, Ephem. nat. cur. etc.

quam organa genitalia rite maturuerunt, affectiones abdominis, praesertim inflammationis haud expertes, antecesserunt, aut delirium, febris paralysi et convulsionibus vacans, ischuria et dolor in premendo scrobiculum cordis, praecipue autem, si blennorrhoea urethrae aut testiculi intumescentia adsunt. Aliae praeterea conditiones morbosae, quae morbos organorum genitalium in universum consideratorum et vesiculas sem. speciatim comitantur, ab auctoribus atque observatoribus memoratae sunt, scilicet: hypochondria, dyspepsia, corporis consumptio, virium defectio, insignis debilitas extremitatum inferiorum, lumbago, ingressus vacillans, impotentia virilis, vertigo, hebetudo sensuum, memoria debilis, convulsiones, tabes dorsalis, delirium, febres, sopor, apoplexia.

§. 26. Ergo *Diagnosis* posita est:

a) In dolore, sensu pressionis et tensionis in regione perinaeali.

b) In tensione dolente per funiculum spermaticum.

c) In excretione seminis turbata, aut in eiusdem corruptione.

d) In aliis organis simul aegrotantibus, quod malum vesicularum sem. morbis creatur, aut hos ipsum profert.

e) In signis, quae digito in anum immisso dignoscuntur.

f) In causis antegressis.

g) In comate, sopore et apoplexia, si mors imminet.

§. 27. Non autem confundendi sunt morbi vesicularum sem. cum morbis prostatae. In hisce enim aeger difficulter mingit et alvum deponit, experiturque excretionem humoris quasi mucosi, alvo soluta sensum insolitum in regione intestini recti, quasi ea solutio nondum perfecta foret: praeterea symptomata, qualia apparere in stricturis urethrae

solent. In exploratione per intestinum rectum gl. prostata, ut tumor aequaliter duratus sentitur.

§. 28. Distinguendum quoque semen ab aliis humoribus ex urethra fluentibus: Est autem semen ipsum album, pellucidum, tenax, sapore salso, odore singulari; in aqua pars eius mutatur in cuticulam in superficie natantem et pars maior imum petit. In linteo maculas efficit cum marginibus flavis; recens effusum violarum succum colore viridi inficit; semen exsiccatum est fragilis et pellucidae substantiae, in aere sicco defluit, in humido autem et tepido non exsiccatur, sed flavescit, putredinem olet et acescit. Densatur vini spiritu et salibus laxiviis et acido muriatico mixtum coit. Oculis armatis animalcula spermatica in eodem cernuntur.

Liquor prostaticus colore albido, minus tenax, limpidus, odore carens, liquidior semine, in aqua subsidens, cum urina miscetur, quam reddit viscosam et globulos efficit parvulos atque cohaerentes. Inhaerescit fundo vasorum, lintea non maculat sed rigidat, calore aut acido acetico diluto coit; nil ammoniaci inest. Effluit autem sine sensu voluptatis et sequelae huius profluvii non tanti momenti, quanti sunt spermatis.

Profluxus muci urethrae mucosior est, crassior, coloris lactei et turbidi, turbidam reddit urinam cum albis, spissis subsidentibus puriformibus, continuo effluit, et quam primum contrahuntur sphincteres, augetur, tum diminutns, remittitur et paulatim redit. Aut irritamento in urethra alieno, aut infectione inter coeundum, aut irritamento aliquo consensuali genitalibus communicato, prolatum est hoc profluvium.

Mucus vesicae urinariae filamenta efficit in urina, quae singulorum lobulorum fimbricatorum instar natant, proce-

dente vesicae ur. inflammatione, in pulverem farinosum et subsidentem mutantur.

Pus ab aliis humoribus urinae commixtis eo differt, quod massam efficit sphaerae similiorem, quod subsidet, quodque subsidentia terminum distinctiorem ad superiorem planitiem urinae liquidae constituunt.

Aetiologia.

§. 29. Vesiculae seminales, quamvis sua ipsarum structura ad morbos primarios, qui vocantur, minus sint proclives; tamen propter situm, connexionemque cum aliis organis fit, ut horum affectionibus ipsae quoque saepissime laborent. Sic v. g. testiculi frequenter existunt iis causa et origo morbi. In scirrho, induratione, atrophia testiculorum ipsae quoque vesiculae sem. induratione, scirrho et atrophia affectae esse solent. Non rarius autem glandula prostata quam testiculi, morbos vesicularum sem. gignunt. Saepe vesiculae sem. cum prostata inveniuntur inflammatae suppuratae et induratae. Morbi funiculi spermatici, ut induratio, degeneratio, hydrocele, varicocele eiusdem, coarctationem et obliterationem vasorum deferentium producunt, quare vesicula sem. lateris respondentis minor apparere solet. Simili autem modo vesiculae sem. mutationes structurae, ut occlusionem, obliterationem in vasis deferentibus proferre possunt. Frequentius autem, quam ex vasis deferentibus, repetenda est causa morbi vesicularum sem. ex ductu eiaculatorio, quoniam hic prostatae et urethrae cohaeret. Itaque morbos urethrae praesertim prostatae portionis urethrae, verumontani et prostatae praesertim resolutus aut etiam erosus infert in vesiculas sem. Degenerationes, cicatrices, tumores verumontani conclusio ductus eiaculatorii plerumque sequitur. Raro vesica urinaria et intestinum rectum

causa sunt, cur morbo afficiantur vesiculae sem. Veruntamen, si haec organa inflammatione, scirrho, carcinomate aegrotant, vesiculae quoque sem. eodem malo plerumque corripiuntur. Praeterea morbi quoque constitutionales, ut tuberculosis, scrofulosis morbos vesicularum sem. provocare possunt et tandem syphilis, inprimis blennorrhoea, excescessus omnis generis et in baccho et in venere, manustupratio atque laesiones. Postremum affectiones cerebri et medullae spinalis causa et effectus morborum vesicularum seminalium esse possunt. Medulla autem spinalis et in vesiculas sem. et in perversam seminis secretionem has afficientem agere valet.

§. 30. Cuncta autem pathemata vesicularum sem. ad insequentes affectus speciales referre licet.

Irritatio.

§. 31. Irritamentum abnorme, aut psychicum aut somaticum adest. Se et excretio adaugetur. Quod si aliquantisper persistit, vesiculae sem., erecto pene, cum sensu contractionis ad perinaeum contrahuntur, et humor, quem continent, minoribus aut maioribus concussionibus omnium partium, cum sensu voluptatis singulis ictibus per urethram eiicitur.

Liquor prostaticus initio orgasmi venerei sine semine excerni potest. Irritationes autem normales cum abnormibus ne confundas, cave.

Irritamentis physicis adnumeranda: irritatio aut inflammatio in systemate genitali, aut uropoetico, imprimis catarrhus, inflammatio, crassities, strictura membranae mucosae urethrae, blennorrhoea syphilitica, calculi, manustupratio, abusus remediorum acrium, diureticorum et omnium ad libi-

dinem allicientium, inprimis cantharidum forma emplastri corpori applicatarum, aut interne assumtarum, urina accumulata, acerrima, abundantia spermatis continentia severe servata, haemorrhoides, vermes in intestino recto, clysmata calida, faeces durae, equitatio vehemens et diuturna. In psychicorum autem numero habendae: irritationes vehementes et libidinosae ex conversatione cum sexu sequiore, ex librorum impudicorum lectione, aspectu tabularum signorumque obscoenorum et ex phantasiae vagae lusibus oriundae.

Irritabilitas adaucta.

§. 32. Praecedebant irritamenta. Tensionis sensus adest ad bulbum urethrae; dolor pressu non augetur. Cupiditas coeundi, magna propensio ad effundendum semen; non tamen secretio vesicularum sem. adaucta. Haec conditio saepe cernitur in hominibus valde sensilibus, hypochondricis, sicut in veneris prodigis, in masturbationi aliisque eiusmodi turpitudinibus deditis, praeterea blennorrhoea urethrae, haemorrhoidibus, vesania affectis. Neque tamen cum irritatione adaucta et inflammatione confundenda est.

Irritabilitas diminuta.

§. 33. Signa irritabilitatis adauctae praecesserunt. Irritamentum exiguum postquam, pene plerumque non erecto, expertus est aeger, liquor spermaticus defluit. Luxuriei varia genera, praesertim veneris, manutigium, syphilis, blennorrhoea urethrae diuturna affuerunt. Qui status cum degenerationibus, irritabilitate diminuta reliquarum partium genitalium complicatus reperitur; penis non propensus ad erectiones, testiculi frigidi, molles; aut etiam irritabilitate

adaucta sunt praediti, ita, ut irritamentis exiguis priapismus et largior effluxus seminis oriatur.

Spasmus.

§. 34. Spasmus vesicularum seminal. aut normalis est aut abnormis. Difficilis autem inter utrumque statutu est finis. Si effusiones cum tensione forti et sensu ingrato in regione perinaeali, quin organorum morbi in hac regione aut inflammatio occurrat, diu noctuque frequentissimae sunt; est, cur spasmum adesse arbitremur. Haec conditio a spasmis partium genitalium dependet. Duplex est modus, quo morbus afficit: ipso nempe actu, et excreto liquore. Pollutiones continuae hebetudinem animi, debilitatem corporis, lumbaginem, varia mala hypochondriaca et postremum tabem dorsalem gignunt.

Distinguendum autem, utrum excretus liquor sperma sit, an liquor prostatae.

A causis huius affectionis annumeramus: magnam irritabilitatem in universum sumtam et speciatim earum partium, accedente epilepsia, contactum crebrum genitalium et calorem nimis iisdem perceptum, manustuprationem prius exercitam, excessus veneris, inflammationem, degenerationem vesicularum sem., calculos in hisce contentos, morbos glandulae prostatae, testiculorum, urethrae, vesicae urinariae, intestini recti, haemorrhoides, urinam nimii acidi urici et calcis phosphorici continentem, abnormitatem smegmatis, obstructionem alvi, exaltationem psychicam, somnia, libros impudicos, conversationem libidinosam, scabiem, herpetemque.

Paralysis.

§. 35. Genitura interdiu vigilanti aegroto elabitur, saepe inscio et quidem plerumque in deponenda alvo, quin penis erectus, aut genitalia irritata sint. Aggregantur hisce sicut malis cognatis oculorum concavitas, habitus torpens, macer, languidus, senilis: incessus elumbis, piger; ingenium consortii humani fugax, animi torpor, memoriae et visus debilitas, magnus appetitus ciborum, digestio corrupta, somnus minime recreans, quibus rebus fit, ut malum facile in tabem dorsalem aut etiam in veram phthisin pulmonalem progrediatur.

Frequentissime in prioribus annis florentis iuventae manifestatur, circiter ab anno aetatis vicesimo quinto usque ad quadragesimum, nonnunquam in hominibus continentibus; plerumque autem antecedente manustupratione, coitu impuro, aut abusu immodico puri gignitur [1]).

Semen pollutione diurna effusum, magis tenue, pallidius, uvidius est, quam quod inter coeundum emittitur: odor spermaticus debilior, et maculae in panno linteo leviores sunt atque minus conspicuae. Sainte Marie eo differre semen a liquore gl. prostatae affirmat', quod hic glandem mane expergefacti involucro muci obduxisset, et quod, urethra a radice glandem versus repressa, guttae nonnullae humoris subviridis, densati, paululum foetidi exprimeretur, lacti ebutyrato male clarificato comparandi. Tissotio si fidem habemus, semen in spermatorrhoea respondet saniei foetidae, muco sordido.

---

1) I. E. Wichmann, de pollutione diurna frequentiori, sed rarius observata tabescentiae causae. Goett. 1782.

Haec conditio cum paralysi et dilatatione ductus eiaculatorii, cum huius exulceratione, cum affectionibus reliqui systematis sexualis et uro-poetici aliorumque organorum complicata invenitur.

Non tamen semper pollutio diurna signum est atoniae, aut paralyseos. Lallemandi observationibus satis explicatur, quod in permultis profluviis seminis, fortasse in plerisque, non est atonia aut paralysis vesicularum sem. et ductuum eiaculatoriorum, sed irritatio aut inflammatio harum partium [1]).

Item haec conditio distinguenda est a profluvio seminis e plethora seminali oriundo, in viris caelebibus plethoricis, penis robore florente, cum scroto in testiculis firmiter constricto, ingrato sensu gravitatis in fundo pelvis et in regione perinaeali.

Non confundendum sperma cum aliis ex urethra profluentibus.

Haematuria s. stymatosis seminalis.

§. 36. In vesiculis sem. exhalatio sanguinea existere potest, immo non parum sanguinis eiaculatione effunditur. Haec conditio est libidinosorum puerorum et veteranorum cupidinis latronum, post sperma prodigialiter aut coitu, aut manustupratione emissum, in blennorrhoea urethrali, pene semper fere languido.

Inquirendum, quaenam sit conditio vesicularum sem.,

---

1) Observations sur les maladies des organes genito-urinaires. Paris 1827—28.

utrum irritabilitas adaucta, atonia, inflammatio, an adsit degeneratio.

Distinguendus hicce fluxus ab eo, qui procedit per glandulam prostatam, e vesica urinaria, urethra, aut ex testiculis.

Sanguis si e vesiculis sem. profunditur, aut purus, aut semine mixtus, aut ut massa fusca, sensu voluptatis plerumque comitante, prorumpit. Quod profluvium nixus et contentionis expers in mingendo accidit, neque sanguis urinae commixtus conspicitur.

Memorata iam organa si sanguinem emittunt, huius mali causa et origo affectione singulari, aut dolore locali, indicabuntur [1] [2] [3] [4].

Duos casus in adolescentibus observatos F. Nasse, vir summo ingenio et excellenti doctrina, benigne mihi communicavit. Hi scilicet aegroti, licet veneris illecebris nunquam irretiti, neque eius lue multati fuissent, in eiaculandi semine, pene rite erecto, sanguinis simul copiam haud exiguam amittebant. Neque alia symptomata conspecta sunt, nisi dolor non ita magnus in regione perinaeali. Quorum alter aluminis, alter acidorum ope bonae valetudini mox restituti sunt.

---

1) Tissot, L'Onanisme.

2) Dalandeterie, Iournal de méd. chir. et phar., T. XXVII, p. 367 sq.

3) Deslandes, De l'onanisme et des autres abus veneriens. Bruxelles 1835, p. 125 et 167.

4) Dict. des scienc. med. T. LII. Art. Sperme. p. 279.

Inflammatio.

§. 37. Vesicularum sem. inflammatio symptomatis similibus, quibus prostata, quacum coniuncta plerumque occurrit, distinguitur. Dolores ardentes, pulsantes, pressu crescentes et tumor, tensio, calor auctus in perinaeo, prope bulbum urethrae, magna cupiditas eiaculandi semen, et seminis eiaculatio cum doloribus, nisus urinam mittendi, dysuria, stranguria et nunquam ischuria. Pro gradu inflammationis febris adest. Digitus ano immissus vesiculas sem. tumescentes, calidas, tactu dolentes sentit. Funiculus spermaticus ita intumuit, ut nodosus contingatur; pressus dolores ciet. Penis et testiculi affecti sunt, si unus tantum testiculus intumuit, hoc signum est, vesiculam sem. eius lateris solummodo inflammatam esse.

Inflammatio acuta est rara, cui plerumque comes: inflammatio vasorum deferentium, ductus eiaculatorii, gl. prostatae, urethrae, vesicae urinariae, testiculorum, intestini recti; contra multo crebrius inflammatio chronica earum animadvertitur. Haud raro inflammatio blennorrhoica urethrae ope ductus eiaculatorii in vesiculas sem. extenditur atque in testiculos qua spermatorrhoea efficitur [1]).

Haec autem inflammatio cum irritabilitate adaucta, cum atonia, cumque degenerationibus coniuncta esse potest. Iisdem causis, quibus phlogosis organorum adiacentium provocatur, vesiculae sem. quoque inflammantur.

---

1) Lallemand l. c. T. II, p. 391—440—452 etc.

Suppuratio.

§. 38. Antecessit inflammatio non dispersa, irritamentum restitit; dolor, calor et reliqua symptomata inflammationis diminuuntur, sed in eorum locum subeunt pulsatio, horror, tumor, sensus gravitatis.

Pus penetrare in urethram potest, cumque urina excerni, aut abscessus oriuntur, qui in vesicam, in gl. prostatam, in scrotum aperiuntur et fistulas gignunt.

Suppurationem vesicularum sem. suppuratio vasorum deferentium, ductus eiaculatorii, glandulae prostatae, testiculorum comitatur. Nonnunquam cum irritabilitatis intemperie cerebri complicata est. Ita se habere, casus commemorati testantur.

Induratio, in cartilaginem atque in ossa degeneratio.

§. 39. Induratio frequentissimus huius organi est morbus, et quidem fere semper induratio vesiculae sem. dextrae. In exploratione per anum vesiculae sem. ut tumores duri, oblongi sentiuntur. Impotentia procreandi adest, saepe simul abscedente humore albo. In observationibus commemoratis indurationem comitabantur dolor trahens, tendens funiculi spermatici, sensilitas in hypochondriis et in regione perinaeali, sopor et mors apoplexia inducta.

Induratio quamvis etiam per se, tamen frequentius cum induratione partium vicinarum locum habet. Obliteratio ductuum spermaticorum sequela est usitatissima. Blennorrhoea inveterata urethrae causa creberrima fuit.

Tubercula; Scrofulae.

§. 40. Ex his ambabus dyscrasiis in vesiculas sem. materia infertur, causa intumescentiae et indurationis. Spectamus autem morbos antegressos, habitum corporis et complicationem, cum dispositione aut acquisita aut nativa.

Scirrhus.

§. 41. Vesiculae sem. plerumque triplicem magnitudinem suam normalem superant. Dignoscitur autem scirrhus ex signis intumescentiae cum coniunctis signis remotae ac proximae causae intumescentiae. Digitus intestino recto insertus planum facit, vesiculae sem. tumidaene sint, molles, an scirrhosae. Scirrhus eos potissimum afficit, qui veneri nimis indulserunt, aut blennorrhoeis urethrae pluribus laborarunt.

Calculi.

§. 42. In cadaveribus calculi reperti sunt symptomatis non praeteritis. Ast etiam symptomata gravia eorum ope creata observarunt autores. In casibus quibusdam aegroti magno genus et sanguinem miscendi cupidine tangebantur, quin semen effluceret. In uno casu cum semine simul excernebantur.

Occurrunt cum calculis in vasis deferentibus, in ductibus eiaculatoriis, in glandula prostata, in renibus, vesica urinaria. Disponit ad eos senectus et desidia partium genitalium. Descriptionem et analysin chemicam calculorum vide §. 9.

Fistulae seminales.

§. 43. Commoto veneris sensu, semen non via solita, sed per fistulam emittitur. Impotentia simul procreandi adest.

Sunt autem sequelae morborum canalium seminalium, obturationis videlicet, tumoris et omnis generis obstructionis ductus eiaculatorii (sive ope calculorum, sive muci, spermatis, aut sanguinis); vulnerationis vesicularum seminalium in lithotomia laterali, aut ruptura ductuum spermaticorum in extrahendo calculo vesicae urinariae [1]).

Spermatocele.

§. 44. Hic status raro occurrens ex continentia voluntaria, aut necessaria oritur. Noscitur autem ex recessu funiculi spermatici, dolore, qui a testiculis ad penem procedit. Testiculi et scrotum tumida, rubra, funiculus spermaticus tumescens et passim quosdam nodulos ostendit. Aeger difficultatem quandam, compressionem et sensum gravitatis perinaeum versus, atque in ima pelvi sentit.

Inflammatio, abscessus et deinde fistulae seminales sequi possunt.

Hic status cum herniis, cum variis tumoribus testiculorum, praesertim autem cum varicocele non est confundendus.

---

1) Iournal général de médecine. 1826, Iuin, pag. 348. — Brachet, Observations et reflexions sur la fistule spermatique ou spermatocéle.

Causa huius mali est sperma retentum in canalibus, sive id fit affectione quadam pathologica organorum idem secernentium, sive eorum, qui contentum servant; sive coacervatione in vasis, sive alteratione mixturae suae, sive morbis verumontani, canalis urethrae, aut eius bulbi, gl. prostatae, ductus eiaculatorii, vesicularum sem., ductus deferentis atque epididymidis [1]:

1) Dict. des sc. med. Art. Spermatocele par Devilliers.

Suppuratio.

§. 38. Antecessit inflammatio non dispersa, irritamentum restitit; dolor, calor et reliqua symptomata inflammationis diminuuntur, sed in eorum locum subeunt pulsatio, horror, tumor, sensus gravitatis.

Pus penetrare in urethram potest, cumque urina excerni, aut abscessus oriuntur, qui in vesicam, in gl. prostatam, in scrotum aperiuntur et fistulas gignunt.

Suppurationem vesicularum sem. suppuratio vasorum deferentium, ductus eiaculatorii, glandulae prostatae, testiculorum comitatur. Nonnunquam cum irritabilitatis intemperie cerebri complicata est. Ita se habere, casus commemorati testantur.

Induratio, in cartilaginem atque in ossa degeneratio.

§. 39. Induratio frequentissimus huius organi est morbus, et quidem fere semper induratio vesiculae sem. dextrae. In exploratione per anum vesiculae sem. ut tumores duri, oblongi sentiuntur. Impotentia procreandi adest, saepe simul abscedente humore albo. In observationibus commemoratis indurationem comitabantur dolor trahens, tendens funiculi spermatici, sensilitas in hypochondriis et in regione perinaeali, sopor et mors apoplexia inducta.

Induratio quamvis etiam per se, tamen frequentius cum induratione partium vicinarum locum habet. Obliteratio ductuum spermaticorum sequela est usitatissima. Blennorrhoea inveterata urethrae causa creberrima fuit.

3

Tubercula, Scrofulae.

§. 40. Ex his ambabus dyscrasiis in vesiculas sem. materia infertur, causa intumescentiae et indurationis. Spectamus autem morbos antegressos, habitum corporis et complicationem, cum dispositione aut acquisita aut nativa.

Scirrhus.

§. 41. Vesiculae sem. plerumque triplicem magnitudinem suam normalem superant. Dignoscitur autem scirrhus ex signis intumescentiae cum coniunctis signis remotae ac proximae causae intumescentiae. Digitus intestino recto insertus planum facit, vesiculae sem. tumidaene sint, molles, an scirrhosae. Scirrhus eos potissimum afficit, qui veneri nimis indulserunt, aut blennorrhoeis urethrae pluribus laborarunt.

Calculi.

§. 42. In cadaveribus calculi reperti sunt symptomatis non praeteritis. Ast etiam symptomata gravia eorum ope creata observarunt autores. In casibus quibusdam aegroti magno genus et sanguinem miscendi cupidine tangebantur, quin semen efflueret. In uno casu cum semine simul excernebantur.

Occurrunt cum calculis in vasis deferentibus, in ductibus eiaculatoriis, in glandula prostata, in renibus, vesica urinaria. Disponit ad eos senectus et desidia partium genitalium. Descriptionem et analysin chemicam calculorum vide §. 9.

Fistulae seminales.

§. 43. Commoto veneris sensu, semen non via solita, sed per fistulam emittitur. Impotentia simul procreandi adest.

Sunt autem sequelae morborum canalium seminalium, obturationis videlicet, tumoris et omnis generis obstructionis ductus eiaculatorii (sive ope calculorum, sive muci, spermatis, aut sanguinis); vulnerationis vesicularum seminalium in lithotomia laterali, aut ruptura ductuum spermaticorum in extrahendo calculo vesicae urinariae [1]).

Spermatocele.

§. 44. Hic status raro occurrens ex continentia voluntaria, aut necessaria oritur. Noscitur autem ex recessu funiculi spermatici, dolore, qui a testiculis ad penem procedit. Testiculi et scrotum tumida, rubra, funiculus spermaticus tumescens et passim quosdam nodulos ostendit. Aeger difficultatem quandam, compressionem et sensum gravitatis perinaeum versus, atque in ima pelvi sentit.

Inflammatio, abscessus et deinde fistulae seminales sequi possunt.

Hic status cum herniis, cum variis tumoribus testiculorum, praesertim autem cum varicocele non est confundendus.

---

1) Iournal général de médecine. 1826, Iuin, pag. 348. — Brachet, Observations et reflexions sur la fistule spermatique ou spermatocèle.

Causa huius mali est sperma retentum in canalibus, sive id fit affectione quadam pathologica organorum idem secernentium, sive eorum, qui contentum servant; sive coacervatione in vasis, sive alteratione mixturae suae, sive morbis verumontani, canalis urethrae, aut eius bulbi, gl. prostatae, ductus eiaculatorii, vesicularum sem., ductus deferentis atque epididymidis [1]).

---

1) Dict. des sc. med. Art. Spermatocele par Devilliers.

VITA.

Ego Aloys. Franc. Henr. Schmitz, Rickelrathensis, fidei catholicae addictus, natus sum IV Nonas Febr. anni MDCCCX, patre quidem Petro Schmitz, quem iam a parvulo defunctum lugeo, matre autem Anna Catharina, e gente Krings, quam adhuc vivam pie colo. E pueris postquam excessi, a magistris privatis litterarum et artium elementis imbutus, quae doctrinae solidiori, ut ita dicam, viam muniunt, Collegium M. Gladbachense, quod tum temporis florebat, per annum, deinde Gymnasium Marcoduranum per biennium, et Aquisgranense per biennium cum sex mensibus frequentavi, ex quo, maturitatis testimonio munitus Almam litterarum Academiam Rhenanam petii, ibique Rectore Magnifico cl. G. A. Diesterweg mense Nov. anni MDCCCXXXI in civium academicorum numerum receptus, apud medicorum gratiosi ordinis Decanum t. t. spectatissimum clar. F. Nasse nomen professus sum.

Sunt autem, quibus interfui, praelectiones hae:

I. *Philosophicae:* De logice ac psychologia disserentem audivi cl. van Calker; de botanice cl. Trevira-

nus; de zoologia et zootomia cl. Goldfuss; de mineralogia cl. Nöggerath; de physice experimentali cl. a Münchow; de chemia experimentali cl. G. Bischoff.

II. *Medicae:* De osteologia atque anatomia universali et comparata, de situ viscerum cl. Weber; de anatomia generali et speciali, aeque ac de anatomia comparata cerebri cl. Mayer, qui et una cum cl. Weber in arte cadaverum dissecandorum dux mihi fuit et moderator; de encyclopaedia et methodologia artis medicae, de physiologia, de pathologia universali cl. Müller; de materia medica, de therapia universali atque de cholera indica cl. Harless; de pathologia speciali, morbisque syphiliticis cl. Albers; de morbis mulierum cl. Naumann; de pharmacologia generali et speciali, de arte formulas medicas conscribendi, de medicina forensi atque de epizootiis cl. E. Bischoff; de morbis chirurgicis, de operationibus chirurgicis, de fasciis ac ligaturis, de oculorum morbis atque de anatomia chirurgica cl. Wutzer; de therapia tam generali quam speciali, de anthropologia, de cerebri et physiologia et pathologia cl. F. Nasse, qui quoque cum cl. H. Nasse in clinico propaedeutico mihi dux fuit; de arte obstetricia eiusque supellectile, deque mulierum morbis cl. Kilian; de anatomia pathologica, de fracturis ossium et luxationibus, de instrumentis chirurgicis cl. H. Nasse, apud quem etiam cursum operationum ophthalmiatricarum feci.

Clinicum et policlinicum chirurgico-ophthalmiatricum duce cl. Wutzer per annum et dimidium auscultans et practicans adii; aeque ac clinicum obstetricium duce cl. Kilian auscultans et practicans per annum, quo duce et in phantomate exercitationes institui; clinicum medicum duce cl. F. Nasse per annum et dimidium. In operatio-

nibus in cadavere instituendis dux mihi et moderator fuit cl. Wutzer.

Hos viros omnes pro summis in me meritis colere, iisque gratnm ad cineres usque animum servare, meum esse confiteor.

Rei militari ut satisfacerem, per annum in VII equitum cohorte duce Dr. Kallmann chirurgi militaris voluntarii munere functus sum.

THESES.

1. *Pollutiones sunt normales.*
2. *Parotitidem vagantem nego.*
3. *Foetus non animatus.*
4. *Pertussis est neurosis.*
5. *Natura facit saltus.*
6. *Perforatio foetus initio partus nunquam instituenda.*
7. *Terebratio cranii non admittenda nisi in depressione cranii.*
8. *Vesiculae seminales et glandulae et simul seminis receptacula habendae sunt.*